

INDEX
SCHOLARUM

IN ACADEMIA

CHRISTIANA ALBERTINA

PER

INSTANS SEMESTRE AESTIVUM

A DIE INDE XXIX MENSIS APRILIS

USQUE

AD DIEM XV MENSIS SEXTILIS A. MDCCCLXVII

PUBLICE PRIVATIMQUE HABENDARUM.



PROOEMIATUS EST DE TIBULLI ELEGIA I ET PROPERTII III (II) 34 OTTO RIBBECK.

KILIAE.

EX OFFICINA C. F. MOHR.



1866. I.

INDEX SCHOLARUM

IN ACADEMIA

CHRISTIANA ALBERTINA

PER

INSTANS SEMESTRE AESTIVUM

A DIE INDE XXIX MENSIS APRILIS

USQUE

AD DIEM XV MENSIS SEXTILIS A. MDCCCLXVII


PUBLICE PRIVATIMQUE HABENDARUM.



PROOEMIATUS EST DE TIBULLI ELEGIA I ET PROPERTII III (II) 34 OTTO RIBBECK.

KILIAE.

EX OFFICINA C. F. MOHR.



Meministis, commilitones carissimi, qui seminarii philologici scholis per hanc hiemem interfueritis, aliquando inter nos de restituenda primae ex Tibullianis elegiis parte priore disputatum esse, sed ita ut magis quid non posset probari quam ut quid re vera scripsisset poeta perspiceretis. quod cum sat probabiliter demonstrare posse nobis videamur, age in expedienda quaestione non iucunda tantum, sed a communis ceterorum quoque commilitonum, si qui ab his litteris non prorsus alieni sunt, iudicio non nimis remota quasi in vestibulo Musarum templi, priusquam aestivarum lectionum indicem aperiamus, paululum immoremur.

Atque unam solidamque elegiam esse qua non ad bella longaque itinera, sed ad Veneris militiam otiique delicias poeta se natum non divitias per labores et pericula querere profiteatur, sed parvo contentum unice optare ut rure inertis vita et Deliae amore seguro frui contingat, id quidem verbosa enarratione doceri opus non est. sed ordinem sententiarum prioris partis, quae est usque ad v. 40, merito dispuuisse censeo Scaligero et qui post eum transponendis versibus Tibullo medendi periculum in scholarum Vratislaviensium aest. a. 1855 prooemio denuo fecit Friderico Haasio. nam quod Bernhardyus in novissima hist. litt. Rom. editione p. 582 monuit, cum in aliis Tibulli carminibus, quibus animo maxime indulsisset, tum in prima elegia tam laxa et molli structura sensus compositos esse, ut pari probabilitate transpositiones partium et commendari et refutari possent, verum esse non concedam, nisi, ut haec exempla adferam, in tertia et nona huius et in prima et sexta secundi libri idem experimentum fieri posse demonstraverit. quid quod ne in nostri quidem carminis parte altera satis firmam sententiarum compagem, qualis quidem sanæ mentis hominem, poetam autem non Bacchi furore vesanum decet, desideramus? id quod ipse Bernhardyus quamquam miro modo secum pugnans sensisse videtur, cum uno ut aiunt spiritu haec protulerit: „nur möge man nicht vergessen, dass die Composition des Dichters in seinen gemüthlichsten Elegien immer dehnbar ist; vermöge der weichen Gliederung können auch die Sätze leicht ihren Platz wechseln, mit gleicher Wahrscheinlichkeit darf man daher Umstellungen empfehlen und dieselben bestreiten. Dies gilt namentlich von dem lockeren Gefüge des ersten Gedichts und von den Vorschlägen, welche dafür Haase... aufstellt; nur die Versetzung von v. 13 sq. 35 sq. erscheint wünschenswerth. Dennoch ist der Bau grösstenteils so zusammenhängend, der wesentliche Bestand

der Gedanken in sich so geschlossen, dass eine grössere Masse sich weder herausziehen noch durch Umstellung einfügen lässt.“

Ergo quidni in illa quoque parte, ubi quaedam si corrigantur iniuriam non fieri poetae Bernhardyus etiam largitur, circumspicere liceat num non minus accuratam compositionem indagare possimus? ac primum deorum quos se venerari dicit Tibullus v. 11 sqq. ordinem immixtis alienis rebus distractum esse iam Scaliger vidit, nec Disseni artificiis has turbas excusari satis ostendit Haasius p. 12. sed hic (p. 11) Priapum ægre ferens sine munere appellari v. 17 sq., cum ceteri sua sibi dona haberent, ad eundem pertinere putavit alterum distichon v. 13 sq., quo nomine dei omissio munus ei oblatum significaretur. haec igitur componenda esse sibi persuasit:

- 17 pomosisque ruber custos ponatur in hortis,
 terreat ut saeva falce Priapus aves,
 13 et quodcumque mihi pomum novus educat annus,
 libatum agricolam ponitur ante deum.

quam coniecturam assensu suo et Bernhardyus l. l. comprobavit et qui Tibulli carmina nuper in nostrum sermonem vertit Antonius Eberz in adnotatione quadam libri sui p. 135 sq. at mihi videntur illa, etiamsi nescio quo casu in libris nostris compacta essent, tamen omnibus machinis dissecanda potius esse quam conflanda. nam hoc ut primum inoneam, praeter molestam atque inutilem eiusdem verbi *ponere* repetitionem magis etiam displicet modorum *ponatur* et *ponitur* differentia. quibus hac in carminis parte Tibullus ita utitur, ut quae sollemni a se religione fieri adfirmat sacra indicativo, quae promittit coniunctivo modo vel futuro tempore indicet. promittit autem Cereri (v. 15 *sit*, 16 *pendeat*), Priapo (v. 17 *ponatur*), Laribus (v. 23 *cadet*); contra in illis qui antecedunt versibus 11—14 quid soleat honoris deis tribuere profitetur (*veneror* v. 11 et *ponitur* v. 14, item *fertis* v. 20). sed ponendo etiam Priapi signo promitti poena debebant, ne poterant quidem deferri.

Ergo ‘*agricola deus*’ Priapus certe non est, quod etiam aliis argumentis probare possumus. nam eadem appellatio non addito certo nomine cum redeat in quintae elegiae versu 27, consentaneum est, de quo ipsi Haasio cum ceteris interpretibus convenit, eundem utroque loco deum a poeta intellegi. atqui narrat illic Tibullus quam sibi cum Delia vitam in rure felicissime degendam finxerit, quamquam ‘renuente deo.’ rura se culturum, frugum pecorisque custodem et dominam dulcissimo consortio sibi adfuturam esse Deliam, tumque pergit:

- illa deo sciet agricolae pro vitibus uvam,
 pro segete spicas, pro grege ferre dapem.
 illa regat cunctos, illi sint omniae curae:
 at iuvet in tota me nihil esse domo.

an putabitis quae coniugis loco haberetur amicam Tibulli sollemnia munera oblaturam fuisse mentulato deo, quem visere non solebant nisi furtim in pudicissimae quaeque

puellae anusque salaces, quibus in versiculis Priapeis multis locis inluditur? apage talem contumeliam a Delia, quae, quamvis matrona proprie dici non potuerit, tamen nec meretrix fuit et illo certe loco casta et fidelis amico futura esse fingitur. nec in secundi libri prima elegia v. 36 inter *agricolas caelites*, quibus ut vitae rusticae magistris carmine suo se gratiam reddere profitetur poeta, Priapus habendus est, qui fures avesque falce minisque deterrebat a frugibus segetibusque, sed nullam earum artium, quae in sequentibus enumerantur, maiores edocuit. nec omnino 'agricola deus' proprie appellandus erat hortorum potissimum custos, a quo colendi agros partes alienae erant. nam quod apud Ovidium trist. I 10, 26 legitur 'et te ruricola, Lampsace, tuta deo', addito patriae nomine ab omni errore cautum est. verum Latino homini, qui patrios prae ceteris deos pie colere debebat, non Lampsaco advectus iste tali potissimum nomine in primis colendus erat, sed profecto antiquissimus ac popularis 'arvorum pecorisque deus' Silvanus, cuius totam per Italiam nullo in agro sollempnia sacra non instituta erant (cf. Gromatici veteres p. 302 L.). hunc igitur, non alium et nostro et altero loco (I 5, 27) veteres intellexisse consentaneum, nec poterat patris sanctissimi mentio deesse ubi exponit poeta qua religione agrestia numina veneretur.

Aptissime autem coniunxit 'tutorem finium,' ut ait Horatius epod. 2, 22, cum
alio in Italia nato et a primis inde temporibus culto numine Termino, ad quem v. 11 sq.

nam veneror seu stipes habet desertus in agris

seu vetus in trivio florea serta lapis

pertinere probatur simillimis Ovidii fast. II 639 sq. verbis

Termine, sive lapis sive es defossus in agro

stipes, ab antiquis tu quoque numen habes e. q. s.

atque hos duos, Terminum et Silvanum, cum a Latino agricola nemine neglegi fas esset, indicativo usus sacris eorum se satisfacere testatur Tibullus. Cereris cultus dedicata aede anno demum 258/496 ex Graecia, Priapi ex Asia provincia Romanorum facta Romam translatus est. his igitur quos minus debet honores tamen ut favorem eorum sibi conciliat promittit poeta. honoris autem Priapo ad inpetrandum eius praesidium satis fuit statua ipsa in hortis erigenda, cui coronas uvas poma non defutura fuisse facile conicimus.

Haec igitur de Silvano suo loco relinquenda esse censeo. sed quam fuisse causam dicemus, cur quae ad eundem popularium numinum coetum pertinet alma Pales non hic commemoraretur, sed multos post versus infra (v. 35 sq.)? quo cur detrusa esset et Haasius p. 12 frustra quaesivit et Bernhardyus excusari non posse concessit. perspexitque olim Scaliger eam cum versibus 11—14 coniungendam esse, quamquam quod his praeposuit probari non potest, quia tota haec de cultu deorum agrestium pars verbis 'nam veneror' exordium cepisse videtur a Termino, quem Silvanus, deinde Pales, sive quis hanc praecedere malet, apte sequebantur. nam de

Palilibus quoque quotannis celebratis indicativum ‘*soleo spargere*’ usurpatum videmus. quodsi post v. 14 vel quod ipse certa quadam de causa praefero post v. 12 inseruntur v. 35 sq.

hic ego pastoremque meum lustrare quotannis
et placidam soleo spargere lacte Palest,

‘*hic*’ adverbium explicandum erit ‘in agro meo’, ubi stipitem lapidemque et agricolam deum veneror; quod ubi nunc legitur nihil omnino habere quo facile referri possit recte animadvertis Haasius.

Sed hic retractis versibus 25—34 post v. 6 adiungi voluit v. 35 sq. versui 24, totus ut locus (v. 21—24. 35 sq.) intellegatur de ambarvalibus, ‘*hic*’ autem sit ‘in hoc sacro’ ambarvalium. at nec temporis ex futuro (*cadet* v. 23) transitus ad praesens (*soleo* v. 36) placet nec ambarvalia disticho nostro (v. 35 sq.), immo Palilia significari lactis munere v. 36 cominemorato appetet. praecipit enim Ovidius fast. IV 746 ‘silvicolam tepido laete precare Palest’, cuius tamen in ambarvalibus sacris, cum hostia circumducta agri lustrentur, mentio nulla fit. nec par erat a Pale nimis segregari antecedens distichon (v. 33 sq.), quo a pecore averruncantur fures lupique:

at vos exiguo pecori, furesque lupique,
parcite: de magno est praeda petenda grege.

habet enim hoc sane Pales, illos ut a lustrato sacrificis suis grege depellat, id quod ipse Tibullus noster alio loco II 5, 87 sq. significavit:

at madidus Baccho sua festa Palilia pastor
concinet: a stabulis tunc procul este lupi.

nec ab altera parte quidquam obstare videtur quin pro incolumitate gregis votum fiat, postquam v. 31 sq. de agna et capella desertis a matre et domum reportandis verba facta sunt. et cohaerere haec omnia inde a v. 25 usque ad v. 34 perspexit Haasius.

Quae tamen minus probo quod post v. 6 transposuit, ut post ipsum exordium, quo inertis vitae votum continetur, subito exultare gaudio statuatur poeta, ‘quod militiae laboribus exsolutus quos ferre nequiverat iam inertis vitae se dedere possit.’ probat nimirum vir doctissimus Guyeti conjecturam v. 25 ‘iam modo, iam possum,’ cuin in libris plerisque tradatur ‘iam modo non possum,’ nisi quod in Broukhusiano et Berolinensi uno (quos litteris *ce* Lachmannus signavit) *nunc pro non* legitur, manifestam autem conjecturam ‘possum quippe ego iam’ in Scaligeranis excerptis invenit Heinsius. at mirum videtur eundem prope ab initio carminis laetari se iam quod unice placeat adsecutum esse, qui in reliquo optare et votis pro eadem re, cuius scilicet compos iam factus sit, indulgere vix desinat: vide infra v. 41 *requiro*, 44 *si licet*, 49 *hoc mihi contingat*. in exitu quidem eo progreditur, ut quam optaverat vitae rationem iam paulo fortiore dicendi modo propositam menti et constitutam apud se certo consilio esse significet. quae cum ita sint, coniunctivo

quem Hirzeliana editio exhibet *possim sane opus est: et in simili loco, ne alia exempla usitatissimae corruptelae quaeram*, III 4., 82 ubi recte legitur ‘ah ego ne possim tanta videre mala!’ *possum* in codice Berolinensi (*d*) et in Aldina factum est.

Ac fortasse toleranda haec pars integra suo loco esset, quamvis deorum invocationem v. 37 continuatam satis moleste interrumpere videatur, si reliqua sana vel tolerabili saltem ordine composita essent. verum non fugit Haasium quod versum 6 sequitur distichon

ipse seram teneras maturo tempore vites
rusticus et facili grandia poma manu

non huc pertinere, ubi rusticae vitae securitas exornatur, sed illuc ubi quamvis otio deditus tamen non omnia se opera detractare adfirmat poeta v. 29 sqq.:

nee tamen interdum pudeat tenuisse bidentes
aut stimulo tardos increpuisse boves,
non agnamve sinu pigeat fetumve capellae
desertum oblita matre referre domum.

quibus si Scaligero auctore praemittuntur v. 7 sq. (nam postponi vetat distichon v. 33 sq., quod vidimus cum superioribus conexum esse), primum frugum serendarum curam faciliorem, deinde quae molestiora videri possunt arationis et rei pecuariae opera quaedam sibi vindicat, quem nec fures luposque a grege arcere, quod proximum est, alienum a se habere oportebat. ac decebat horum laborum professionem ibi potissimum subiungi, ne quis putaret omne per tempus otiosum poetam contentum fore

canis aestivos ortus vitare sub umbra
arboris ad rivos praetereuntis aquae,

quod optat versibus proxime antecedentibus 27 sq. de coniungendis igitur v. 7 sq. cum 29—32 consentio cum Scaligero et Haasio, sed ut nec huius ratio placeat, qua plantandi opera post versum deinum 34 minus commode ut sentio inlata est, nec illum probem qui erecta e conexu suo post v. 10 sequi voluit.

Sed illud quoque ingeniosissimus vir praeclare intellexisse videtur, quod miror sprevisse Haasium, expulsis v. 7 sq. optime coire v. 6 cum 9 sq.:

me mea paupertas vita traducat inertis,
duin meus assiduo luceat igne focus,
nec Spes destituat, sed frugum semper acervos
praebeat et pleno pinguis musta lacu.

neque enim video cur non Spem deam poeta hic quoque intellexisse putandus sit, qui alio loco II 6, 21 sq. ecclinerit haec:

Spes alit agricolas, Spes sulcis credit aratis
semina, quae magno fenore reddat ager e. q. s.

iam illud est quod mox dicit contentum vivere parvo et composito securum acervo despicere dites, despicere famem. hic vide mihi quam pulchre inferatur acrior desiderii significatio fore ut tandem aliquando nullis lacessitus officiis, qualia illo ipso tempore Messallam rursus expostulavisse v. 53 sq. docemur, vacare ab itineribus et otio frui possit. ergo hic interponimus v. 25—28. 7 sq. 29—34:

iam modo iam possim contentus vivere parvo
nec semper longae deditus esse viae e. q. s.

vel si quis probata librorum *ce* scriptura *nunc* velit ad Lygdam exemplum supra laudatum (III 4, 82) paulo fortiore medicina uti:

a modo nunc possim e. q. s.

Vidiinus supra sententiarum ordinem satis bene procedere, si disticho illi de arcendis furibus lupisque (v. 33 sq.) adnectantur illa ‘nam veneror’ e. q. s. v. 11 sqq. nam post adumbratas rusticae vitae delicias, quae modicis laboribus quibusdam etiam augeantur, conveniebat pietatem erga deos agrestes profiteri, qua bona eorum mereretur. sed restant Lares, quibus extremo loco v. 21—24 sua munera variis temporibus oblata promittit. remotis autem hinc sequentibus vv. 25—34 illorum invocationi ‘io messes et bona vina date!’ (v. 24) Scaliger optime adiunxit distichon v. 35 sq. :

adsitis, divi, nec vos e paupere mensa
dona nec e puris spernite fictilibus.

quae non ut ceteri sic interpretor, ut post singulorum deorum commemorationem universos ad dapes invitari statuam, sed ad solos Lares referenda censeo. his enim ut ‘dis propitiis’ cum de mensa libamina in patellis deferri solerent, ut constat Ovidii fast. II 631 ‘et libate dapes. ut grati pignus honoris Nutriat incinctos missa patella Lares’ praecepto (cf. Varronis in satura Manio fr. VIII R.), ne aliis testimoniis sat notis has chartas onerein, optime nostro loco Lares potissimum dona e paupere mensa et fictilibus oblata ne spernant iubentur. quodsi his quinque disticha v. 19—24. 37—40 recte vindicavimus, respondent eis singula quinque numinibus Termino Pali Silvano Cereri Priapo tributa. reliquarum partium numeros, varios illos quidem et attento lectori faciles ad cognoscendum, hic enotare praetermittam: sed ut omnibus iam promptius iudicium sit ecquid machinis nostris lucri fecerimus, in nostrum ordinem redactos quadraginta huius elegiae versus priores hic describendos curavi. sunt autem hi:

Divitias alias fulvo sibi congerat auro
et teneat culti iugera multa soli,
quem labor assiduus vicino terreat hoste,
Martia cui somnos classica pulsā fugent:
me mea paupertas vita traducat inerti,
dum meus assiduo luceat igne focus,

- 9 nec Spes destituat, sed frugum semper acervos
praebeat et pleno pinguia musta lacu.
- 25 a modo nunc possim contentus vivere parvo
nec semper longae deditus esse viae,
sed canis aestivos ortus vitare sub umbra
arboris ad rivos praetereuntis aquae!
- 7 ipse seram teneras maturo tempore vites
rusticus et facili grandia poma manu;
- 29 nec tamen interdum pudeat tenuisse bidentes
aut stimulo tardos increpuisse boves,
non agnave sinu pigeat fetuve capellae
desertum oblita matre referre domum.
at vos exiguo pecori, furesque lupique,
parcite: de magno est praeda petenda grege.
- 11 nam veneror seu stipes habet desertus in agris
seu vetus in trivio florea sesta lapis.
- 35 hic ego pastoremque meum lustrare quotannis
et placidam soleo spargere lacte Palest;
- 13 et quodcumque mihi pomum novus educat annus
libatum agricolam ponitur ante deum.
flava Ceres, tibi sit nostro de rure corona
spicea, quae templi pendeat ante fores;
pomosisque ruber custos ponatur in hortis,
terreat ut saeva falce Priapus aves.
- vos quoque, felicis quondam nunc pauperis agri
custodes, fertis munera vestra, Lares.
- 20 tunc vitula innumeros lustrabat caesa iuvencos:
nunc agna exigui est hostia parva soli.
agna cadet vobis, quam circum rustica pubes
- 24 clamet 'io messes et bona vina date!'
- 37 adsitis, divi, nec vos e paupere mensa
dona nec e puris spernite fictilibus.
fictilia antiquus primum sibi fecit agrestis
pocula, de facili composuitque luto.

Haec quidem ipsa sententiarum quadam vel necessitate vel saltem probabilitate
ductus constitueram, cum causam turbarum quaerens animadverti, cum inde a versu
37 oinnia recte se habeant, intra ter duodenos versus vel ter sena disticha labem
ita contineri, ut bis duodeni versus vel bis sena disticha efficiantur eis partibus, quas
suo ordine pulsas, sed per se satis integras esse mihi persuaseram (v. 25—36 et 13—24),

initium autem fieri confusionis inde a v. 7, h. e. a quarto disticho, ter denique singula disticha restare quae uno loco nunc collecta olim diversis sedibus videantur distributa fuisse. quod statim vidi praeclare cum Ritschelii invento quadrare, qui elegantissima nuper commentatione in societatis litterarum Lipsiensis actis anni 1866 inserta (qua etiam Bernhardiana patientia quid et ubi valeat satis significatum est p. 9 adn.) demonstravit Tibulli codicem archetypum folia continuisse, quorum seni in quaque pagina versus scripti fuissent, foliorum autem paria quaedam quaternionum compage soluta atque adeo discerpta fuisse. hunc igitur auctorem secuti statuemus nostrae elegiae in archetypo paginarum et foliorum ordinem hunc fuisse, ut

- fol. I a titulus libri contineretur,
- fol. I b v. 1—6
- fol. II a v. 25—28. 29 sq.
- fol. II b v. 31—34. 35 sq.
- fol. III a v. 13—18.
- fol. III b v. 19—24.
- fol. IV a v. 37 sqq.

Ex his folia II et III a librario ita transposita fuisse conicio, ut fol. III a et b praecederet folio II a et b; praeterea autem tria disticha 9 sq. 7 sq. 11 sq. neglegentia librarii in scribendo codice praetermissa in singulari scheda, quae inter folium I et II inserta esset, signis quibus indicaretur, quo in textum referenda essent singula disticha, adpositis hoc ordine conscripta fuisse:

7 sq. 9 sq. 11 sq.

sed idem ille librarius, qui folia II et III commutavit, neglectis notis hanc schedam proxime post v. 6 transribendam esse opinatus eius ordinis auctor factus est, qui in nostris libris traditus iam Scaligeri acumen merito offendit.

Ac videte mihi quam egregie foliorum computatio nostra conveniat cum Ritschelianae. nam quae intercedunt inter elegiae I versum 37 et quartae initium sic ad normam illam distribuuntur, ut pertineant

elegiae I v. 37—78, h. e. versus XXXXII a folio IV a usque ad VII a extrellum;

„ II „ 1—98, h. e. addito unius versiculi spatio, quo haec elegia a priore separetur, versus XCVIII, quibus accedit hexameter post v. 24 in libris insertus (nam pentameter deest), a folio VII b usque ad XV b, v. 4;

„ III „ 1—94, h. e. addito iterum spatio versus XCV, a folio XV b, v. 6 usque ad XXIII b, v. 3;

ut quartae elegiae adsumpto spatio eodem in pagina folii XXIII aversa (b) duo versus primi extiterint. et hoc ipsum statuit Ritschelius versus 1 et 2 in prima huius carminis pagina extreimos fuisse. verum tamen quod in adversa pagina (a) exordium cepisse elegiam quartam sumpsit necessarium ad explicandas huius carminis turbas non esse

duco. fingamus in archetypo sic distribntum fuisse, ut continerentur in folio
huius elegiae

II a v.	3—8,	II b	versus 1 et 2, 9—14
III a „	39—44,	III b	45—50
IV a „	51—56,	IV b	71 sq. 69 sq.
V a „	21—26,	V b	15—20
VI a „	27—32,	VI b	33—38
VII a „	73—78,	VII b	79—84
VIII a „	57—62,	VIII b	63—68.

conicio enim in vacua nescio quo casu folii IV pagina altera quae suis locis neglecta essent disticha duo 71 sq. 69 sq. ex diversis sedibus reposita fuisse. haec autem postea turbato ordine sic possunt se exceperisse: I b. II a. b. V b. a. VI a. b. III a. b. IV a. VIII a. b. VII a. b. ergo si recte Ritschelius quarti carminis textum restituit, inversa sunt paria foliorum tria anteposito binione V et VI alteri III et IV, simul autem paginis folii V inversis, denique locis foliorum VII et VIII commutatis. praeterea in transcribendo codice librarius ex pagina IV b non versus tantum 69 sq. ut signis iussus erat adiunxit ad 68, sed etiam qui versum 56 sequi debebant 71 sq. sed haec quam probabiliter facta sint videat Ritschelius, qui multiplicem erroris viam esse ipse praeemonuit: nostrae interim elegiae rationes, quoniam prima in codice extabat, non pendent a ceterarum fatis, quae qualia fuerint fortasse alia data occasione persequemur.

Interim, ne quid bonae chartae pereat, brevissime de altero transpositionis exemplo disseram Propertiano. Est locus quo Vergiliani ingenii laudes canuntur in elegiarum III (II) 34, v. 61 sqq., in eam exiens sententiam, ut ne Aeneidis quidem subliinis poematis vatem ab amatorii generis lascivia prorsus abhorrere moneatur, quo exemplo prae ceteris illustri suam quoque poesin Propertius commendari voluit. sed praeter 'mai' illud 'Iliade' opus (v. 61—66) et bucolica, hilioris stili documenta (v. 67—76), cur tandem tertio loco georgica (v. 77 sq.) et de aureo saeculo vaticinium eclogam IV (v. 79 sq.) ita commemorat, non ut levitatem ullam argumenti notet, sed Hesiodi illis atque hoc Apollinis ipsius artem adsecutum poetam admiretur? hisque ipsis qua mente subiuncta putabimus (v. 81 sq.) quibus adseverat 'non tamen' ingrata haec, quibus scilicet Ascraeum poetam et Cynthium aequaverit Maro, ulli fore, 'sive in amore rudit sive peritus erit?' quasi omnino amores in illis carminibus tractarentur. tum vero quod sequitur distichon (v. 83 sq.) 'nec minor hic animis, aut si minor, ore canorus Anseris indocto carmine cessit olor' adeo non intellexerunt homines docti, ut et coniectandi et interpretandi conaminibus variis misere vexaverint. veram viam quasi per nebulas dispexit olim Lachmannus cum transponi post v. 66 v. 83 sq. iuberet: sed nec sententiae satisfecit nec causam turbarum aperuit quamvis tam perspicuam ut oculos percutiat. incipiunt nimirum tam bucolicon quam georgicon laudes eiusdem verbis 'tu canis' (v. 67. 77), quo factum est ut librarius a

priore ad alterum locum deerrans post Aeneida non, ut par erat, et rerum et temporis ratione minus ab hac remota praecepta ruralia et divinam eclogam IV laudaret, sed statim Thyrzin et Daphnin inferret et absoluta demum hac parte quod supra omiserat loco alienissimo intruderet. quo patefacto errore omnia ut ne litterulam quidem mutari opus sit plana et sana fiunt hoc ordine contexta:

me iuvet hesternis positum languere corrollis,	59
quem tetigit iactu certus ad ossa deus,	
Actia Vergilium custodis litora Phoebi	
Caesaris et fortis dicere posse rates,	
qui nunc Aeneae Troiani suscitat arma	
iactaque Lavinis moenia litoribus.	
cedite Romani scriptores, cedite Grai:	65
nescio quid maius nascitur Iliade.	
tu canis Ascraei veteris praecepta poetae,	77
quo seges in campo, quo viret uva iugo.	
tale facis carmen, docta testudine quale	
Cynthius inpositis temperat articulis.	80
tu canis umbrosi subter pineta Galaesi	67
Thyrzin et attritis Daphnin arundinibus,	
utque decem possint corrumpere mala puellas	
missus et impressis haedus ab uberibus.	70
felix, qui viles pomis mercaris amores!	
huic licet ingratae Tityrus ipse canat.	
felix intactum Corydon qui temptat Alexin	
agricolae domini carpere delicias!	
quamvis ille sua lassus requiescat avena,	
laudatur facilis inter hamadryadas.	76
non tamen haec ulli venient ingrata legenti,	81
sive in amore rudit sive peritus erit.	
nec minor hic animis, aut si minor, ore canorus	
anseris indocto carmine cessit olor.	

ut sententia extremorum versuum haec evadat: non inter nymphas tantum laudatur Corydon, sed omnibus vel inperitis amoris placent quae Corydones et Tityri canunt; nec in hoc genere (*hic*) olor Mantuanus aut spiritu poetico minor est aut, si spiritu paulo humilior, indoctum edidit carmen, quo velut anser sublimioribus cantoribus cessisse merito dicatur, ut sibi ipse detrahens ecl. X 35 sq. professus est: immo semper ore canorus suique similis fuit nec artis dignitatem iucunditate carminum umquam dedecoravit.

Unum restat ut moneam, ne inertiam Tibullianam aut lasciviam Propertianam vobis putetis, commilitones carissimi, quamvis suavissimis carminibus commendari. immo ne poetas quidem iuvenes nostro tempore decet remotos a sollicitudinibus et curis, ut ait ille, in nemora et lucos secedere, nedum alios Musarum alumnos vosque praesertim, qui nuper nationis inprimis armigerae cives facti 'grave Martis opus' non subterfugere nec ut 'cedant arma togae,' sed, quod Borussorum ut olim Atheniensium proprium est, honesti otii studia et artes cum militiae robore ut ad firmandam atque augendam domi forisque patriae salutem vere liberali consortio concilientur operam dare debetis. Q. B. F. F. F. Q. S.

